



## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. XXI. Adventus Petri in urbem Romam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

## C A P. XX.

*De Simone Mago.*

**S**ub hoc tempore quidam Simon Samaritanus, caput totius pravitatis, & principium omnis hæresis, sub Claudio Cæsare magicis artibus & ope Dæmonum sublevatus, in urbe Roma Deus decernitur, & simulachri potitur honore, collocati inter duos pontes fluminis Tiberis, habens etiam titulum Latinis verbis, SIMONI DEO SANCTO. Sed non diu permanet, fraude divinitatis detecta.

## C A P. XXI.

*Adventus Petri in urbem Romam.*

**C**ontinuo namque in ipsis Claudii temporibus, per divinam providentiam, Petrus Apostolus fundata prius Antiochiae Ecclesia, ad urbem Romam cum honore deducitur, afferens secum ex Orientis partibus, ut cœlestis quidam negotiator, divini luminis mercimonia, si quis sit comparare paratus. Cujus magnifica auctoritate statim clarum verbi Dei lumen oritur, & Simonis cum suo authore extinguitur.

## H A Y M O.

Tantam igitur prædicandi habet gratiam, ut universorum mentes placido illustrans sermone traxerit, & Christi nomen in capite regnum celebre fecerit in brevi. Et hoc quidem pulchre divina dispositione actum est, ut ibi tanto gloriosius titulus Salvatoris erigere.

C

rigeretur, quanto contumeliosius, in initio fidei,  
spretus ibidem à Romanis fuerat ipse Salvator.

## CAP. XXII.

*Conversio Philonis.*

**E**o tempore *Philo*, Hebræorum scriptor, de quo su-  
pra memoravimus, subtilissimus, in sensibus pro-  
fundus, & affluentissimus eloquentia, copiose inve-  
niens & copiosius eloquens, Petro Apostolo prædi-  
canti adhæret: qui denique nobis in multis libris in-  
genii monumenta reliquit.

## CAP. XXIII.

*De Evangelio Marci.*

**T**unc *Marcus* sribit Evangelium, hac occasione.

Cum sola Petri auditio non sufficeret, magna cum  
audientium aviditate, magnis precibus rogant Mar-  
cum, discipulum ejus, ut prædicationem scripti com-  
mendaret memoriæ: *Clemens in Sexto Dispositionum Li-*  
*bro*. Petrus vero, ut religioso se spoliatum comperit  
furto, delectatus est, factumque confirmavit & per-  
petuo legendum ecclesiis tradidit. Postmodum verò  
Marcus hoc idem Evangelium, apud *Ægyptum* missus  
à Petro, prædicat, & primus apud *Alexandriam* leva-  
tur in Episcopum; ubi multos lucratur populos, ma-  
gnæ sobrietatis & continentiae exemplo. Interea  
*Paulo* Apostolo ab Hierusalem in circuitu, & usque  
ad Illyricum prædicante, *Claudius* Imperator Iudæos  
tumultuantes urbe depellit. Tunc *Aquila* & *Priscilla*  
cum